cè ſcriptum habuit Guilielmus Poſtellus.

ABHENQVEFIT, vel ALBENQVEFIT quædam de Balneis ſcripſit, quę impreſſa ſunt Venetiis cum aliorum de iiſdẽ ſcriptis, apud heredes Iuntæ. 1553. folio.

ABHOMERON ABYNZOAR ſcripſit opus in re Medica libris 3. impreſſum Venetiis Latinè. 1496.

ABIMERON AVENZOAR, citatur à Campegio de clyſteribus. 62.

ABRAHAMVS IVDAEVS, & Simon Ianuenſis, Ioan. Serapionis Commentaria de facultatibus ſimplicium medicamentorum Latinè reddiderunt. excuſa Venetiis fol. apud Iuntas 1550.

ABRAHAMI FILII ISAACI liber Medicus Hebraicè ſcriptus extat.

ABRAHAMVS E PORTO LEONIS Mantuanus Medicus, edidit Dialogos 3. de Auro, in quib. non ſolùm de Auri in re Medica facultate, verùm de ſpecifica eius & cæterarum rerum forma, ac duplici poteſtate, qua mixtim in omnibus operatur, copioſè diſputatur. 4. Venetiis 1586.

ACHILLES P. GASSERVS Lindauienſis, Medicus & Mathematicus Reipublicæ Auguſtanæ conſcripſit Methodum nouam Aphoriſmorum Hippocratis libris quinque collectam, Sangalli 1584.

ACTORIENES Chymiæ ſcriptor, citatur ab Hortulano